

Propempticon inaugurale, de sectarum medicarum noxia restauracione.

Contributors

Alberti, Michael, 1682-1757.

Publication/Creation

[Halae Magdeb], [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hr9zgutu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. MICHAELIS ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICI ET CONSIST. MAG.
DEB. CONSILIARIII, MED. ET PHILOS. NATUR. PRO-
FESSORIS PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COL-
LEGÆ, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT.
SODALIS, ETC.

PROPEMPTICON IN AUGURALE,

DE

SECTORVM MEDI-
CARVM NOXIA RESTAV-
RATIONE.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30777793>



Ectis erigendis antiquissimi Philo-
phi altis superciliis & elato animo ope-
ram dederunt; neque hic pruritus sen-
tiendi & judicandi priscis tantum fuit fa-
miliaris, sed hodiernis adhuc ævis inno-
tescit: quam ob rem sæpe antiquorum
placita & judicia à tergo alio modo in-
ter posteros adspiciuntur & novæ curiosæ
& speciosæ opinions excogitantur ac declamantur: attamen non
sibi soli sapere, nec sua tantum efferre, sapientis character est; quip-
pe vera sunt, quæ *Plinius Lib. V. Ep. 8.* elocutus: *Invenio apud
sapientes, honestissimum esse majorum vestigia sequi, si modo recte
itinere præcesserint:* quare veritatis viam sectari, nec aliorum
cognitionem spernere animi probi & ingenui occupatio esse debet:
malum enim symbolum est, quod *Chrisippus* de nonnullis profert:
hic solus sapit, cui alii velut umbra feruntur: nec tamen ea pro-
pter omnis imitatio probatur, nam imitari, quæ contra rationem
eveniunt, quis optet! dixit *Polybius Lib. XV. c. 34 p. 72l.* *Seneca
de vita beata cap. 1.* quare sectari & non sectari, imitari & non
imitari, vario modo nocivum esse potest: Etenim interdum id
contingit, quod *Stanlejus de Euclide, Sectæ Megaricæ instituto-*
re, cap. 2. p. 264. dixit: *quod suo ingenio indulgens, sectam*
banc instituerit, quam Diog. Laert. II. 24. non σχολην' sche-
lam, sed χολην' merum fel vocavit: Siquidem non modo anti-

quiōres quidam in nimia confidentia p̄judicio fluctuaverant, sed
hodernis temporibus idem aliquando evenit, ut homines sibi placen-
tes & suo ingenio indulgentes, Sectam restaurent erigantque: Exosus
multis videtur Sectariorum titulus, tamen non pauci in aliorum ver-
ba jurant, aut curiosis ac speciosis propositionibus & promissioni-
bus occēcati, mox autoritatis p̄judicio captantur & intra tēte
ejusmodi Sectæ implicantur: nec desunt testimonia, quibus restaura-
tio nova & perniciosa Sectarum Medicarum confirmari potest: Ec-
lecticam non pauci affectant! in hoc tamen studio minus felices
faciunt progressus, siquidem ima summis miscere, confuse senten-
tias & causas corradere, indiscriminatim effectus & phænomena
congerere, res inapplicabiles sine judicio conquirere, per omnia
elementa vagari, in aere piscari, ex omnibus mundi terminis &
plagis certas contemplationes turmatim congregare, deinde verbis
ludere, nudis opinionibus & thesibus philosophari, aliquando mi-
nus veram sententiam Medicam conficit, quæ si sibi placet, inno-
centes animos ad se allicit, sub aliquo jugo, mancipio & servi-
tute detinet, ab aliis contemplationibus dehortatur, semet tantum
commendat, aut aliam occupationem, (si non simul, aut plane
principaliter, circa illam pomposam & quæ videri & æstimari
vult, unice solidam ac veram sententiam sollicita & studiosa fuit,)
improbat, rejicit & despiciatui habet, novum tunc Sectæ Fanum
& Idolum erigit, in quo Æsculapius, sacrificia gallorum, ado-
rationem, cultum, commendationem, applausum, aliasque hu-
manas vanitates & adulaciones, in faciem ut ajunt abeuntes, sine
erubescētia expectat: De Pittaco Mitylensi refert Athēnæus Lib.
X. p. 427. quod Periandro s̄vaserit, ne esse cognosceretur, qualis esset,
non esse, qualem se esse simulabat: simile quid de talibus sententiis,
quæ Sectas struunt, asseverari non potest; nam facile ex ungve
Leonem nosse licet & simulatio quæ intercurrit, valde cruda &
manifesta est; quando enim talis Secta aliquando alia theoreimata
& inventa probat, mox altera manu iterum aufert, quod una p̄-
buit, dum sua adserita miris elogiis antefert, alia vero denuo je-
junis & sterilibus opprobriis opprimit: reminiscor porro illius
effati à Byante, referente Stobæo Lib. III. p. 46. propositi: *delibera-*
to rem aggredere, quod autem coeporis, constanter absolve: Contra-
rium huius moniti interdum Sectæ tales novaturientes continent:

dum

dum deliberatio in variis dogmatibus valde infirma, præcipitata,
affectata & innumeris præjudiciis contaminata deprehenditur :
hinc præter illas exclamaciones, hæc mea sunt ! hæc ego (si Diis
placet) inveni ! hæc observavi ! hæc sentio ! quid verum esset, si hoc
non esset ! Deus hoc potuit facere ! multa licet, in hac explicatio-
ne adeo manifesta haud sint, tamen reliqua vera existunt ! hæc sunt
perspicua, alia obscura, metaphysica, ad forum medicum non qua-
drantia ! mea modo legantur ! &c. &c. &c. Si itaque talia effata, qua-
si solidissima argumenta, quisquam credere & imitari gestit, Sectæ
participem se reddit : absit à me ut hac signorum enarratione, quæ
Sectam produnt, ullam parem offensam : interim placet in altera de-
monstratione confirmare, quod sic dicta Doctrina Stahliana alie-
nißima sit, à tali Sectæ titulo : illa enim ordinem Dei & quæ al-
mus creator conjunxit & subordinavit, pro fundamento cognitio-
nis ponit ; illa veritatem & certitudinem primo in facto agnoscit ;
illa veterum vera & sincera adserta & inventa ingenue feligit,
prudenter conciliat & solide applicat ; illa cognitionem Corpo-
ris humani quoad physicos & anatomicos respectus non negligit,
multo minus improbat, sed prudenter discernit & convenienter di-
judicat ; illa mentes audientium & legentium non ab aliis sedu-
cit, ac velut anathemate odii detinet, sed ad alias conferendos,
audiendos, legendos & dijudicandos dimittit ; illa urget & cum
affectu postulat, quo alia percipientur ac conferantur, ut prudens
conciliatio & dijudicatio institui queat ; cum contra sæpe imma-
tura ingenia ab hac doctrina avertantur, ne forte meliora sub
sobrio rationis usu comprehendant ; illa haud terminos & annos
aut exquisitos limites ponit, quibus veritas mente agnosci debeat,
neque tamen fugaci impetu negotia tractat, sed pro rationis apti-
tudine, nunc citius & facilius, nunc sub paulo longiori mora se-
riem rerum scientificarum inculcat, adeoque ex studio Medico
non rem mercenariam & opificiarum, cui per certos annos ser-
viendum esset, conficit ; illa non anilibus subrisiōnibus, sed solidis
demonstrationibus falsa commenta segregat & subjugat ; illa in coe-
ptis suis constans est, non modo hoc, modo aliud, hodie hoc, cras aliud
sentiens, consultans ac judicans ; illa non est turbatrix ordinis divini,
sed egregium nexum, divinitus institutum, inculcat, defendit & con-
firmat ; illa causas naturales pulchra connexione & sine confusione,

contradicione, figmento ac vitiosa conclusione proponit; illa aliorum prudentes observationes conciliat & satis superque monstrat, quod sibi soli non sapiat, neque tamen sine judicio promiscue medicorum inventa & observata colligit, applicat & declamat; illa judicium selectum phænomenorum & congruam applicationem causarum instituit, neque à baculo ad angulum, aut late dispersis causis ad hominem argumentationem format; illa omnibus prudentibus arbitris disquisitiones suas modeste offert, neque vana ostentatione ac sciolis commentariis aliis obtrudit; illa integritatem suam non verbosis laudationibus & adulationibus, sed simplicibus ac innumeris effectibus atque salutaribus successibus comprobat, adeo ut multorum nævi in ejusdem castis tutelam postulent; unde non nuces cassas & theses, solida demonstratione destitutas, obtrudit; illa singula theorematata multis argumentis probat & demonstrat, nec fabulatur quicquid in buccam venit, multo minus in rerum naturalium propositione articulos fidei format; illa non odio aut invidia alias prosequitur, qui non cæca fide & veneratione demonstrationes suas amplectuntur, sed in propositione veritatis acquiescit; illa S. Scripturæ admodum conformem se reddit, neque periculosis speculationibus atque consecutionibus ansam præbet; illa non crepundiis curiosatum & experimentorum, ad forum medicum nequaquam spectantium, ingenia imbecillum corrumpit, nec plus enervat & allicit, sed bona fide documenta sua cuilibet exponit; illa sine amplifica speciosa ac verbosa commendatione sua dogmata proponebit, sed simplici ac naturali ordine atque nexu eadem judiciosis arbitris subjicit; illa requirit animum à præjudiciis liberum; cum sectarii multis præjudiciis varii speciminis turgidi existant, illa scriptis, verbis & factis aliorum animos ad sollicitum scrutinium aliarum sententiarum allicit ac disponit; illa oblatis objectionibus multis demonstrationibus satisfacit, nec aliorum aures nudis assertis & opinionibus offendit, nec cramben toties coctam vicies apponit, nec semper unum idemque profert; illa cum judicio effectus & phænomena intuetur, nec phantasie plus tribuit in excogitatione causarum; &c. &c. Ex singulis hisce & multis aliis facile inclarescit, quam aliena hæc Doctrina sit, à Secta erigenda & ubi vicissim jure meritoque restauratio Sectæ Medicæ inter recentiores & novaturientes inquireti debat;

beat; Varia protuli crinomena illorum, qui re ipsa præjudiciori sunt
sectarii & suis viribus, philautiæ, imaginationi, ac meritis plus tri-
buunt, quam par est: talis Secta, quæ sibi sapit, quibus alia for-
dent, sane ipsa fœdida & à veritate valde aliena est: Ex hac in-
dicatorum conciliatione facile prudens, æquus & attentus arbiter
judicare potest, quænam sententia & qui mores in Medico etiam
foco inter posteros Sectis restaurandis quadrent: interim singula
hæc in sensu abstracto dicta sunt; quo loco cum Hieronymo Tom.
I. Opp. f. 6. confiteor: *nullum laeti, nullius nomen mea Scriptura designatum est: qui mihi irasci voluerit, prius ipse de se, quod talis sit, confitebitur.*

Hanc meditationem brevi annotatione proponere & una
præmittere volui publicæ commendationi

DN. JOHANNIS NICOLAI GRIMMANNI

Medicinae Candidati Doctissimi

Cujus honestam profapiam & laude dignum studiorum Cur-
sum commemorare placet: hic in lucem editus est Otterndorf-
fi, urbe Hadelensi, An. MDCCVII. d. XXII. Septembr. Patre
Viro Præclarissimo & Amplissimo *Dn. Johanne Grimmanno* ejus-
dem loci Con Rectore quondam Spectabili, meritissimoque: Ma-
tre Honore ac Virtutibus ornatissima *Anna Margaretha Brutten*.
Quibus Parentibus Peste, tunc temporis grassante, præmatura mor-
te è vivis ereptis, sextum vix ætatis anno egresso Tutores duo
sunt constituti, videlicet *Dni. Frers & Haase*, quorum svasu prima
studiorum fundamenta in Schola, Otterndorfii florente, jecit: Po-
stea Halam nostram accessit & in Schola Orphanotrophei studia
porro prosecutus est. Post aliquam temporis moram iterum in
Patriam reversus, per anni spatum ibidem commoratus, privata
institutione humanioribus studiis operam dedit; Halam vero de-
nuo, svasu Curatoris sui, de se bene meriti, *Dni. Rademacheri*, Spe-
ctatissimi, gravissimi & dexterimi Consulis Otterndorffensis, cuius
benevolentiam valde veneratur, adivit, cujus Academiæ Civibus ad-
sociatus fuit: in hac Medico præcipue studio animum suum dicavit.
In quo omnibus ad studium Medicum pertinentibus institutionibus &
manuductionibus sedulum se promisit exhibuitque auditorem, impri-
mis

mis Excellentissimi Dni. Consil. & Profess. D. Hoffmanni Commentatio-
nem in Materiam Medicam excepit; porro Experientissimi Dni.
D. Bassii Prof. Extraord. Collegia Anatomicum, Chirurgicum &
Deligatorium frequentavit; Botanicem etiam excoluit; Meâ ve-
ro Doctrinâ Universum Cursum Medicum per omnes partes Theo-
reticas & Practicas, Physicas, Medicas, Chymicas, & Chirurgicas
bona applicatione exantlavit & tandem præeunte Excellentissimo
Dn. Prof. Junckero Praxeos clinicæ exercitium conciliavit.
Cum autem è re sua esse existimaverit, ut alias Academias invise-
set, Argentoratum se contulit, ibique variorum Clarissimorum
Virorum auditor factus, quippe Celebrem & Excell. Profess. Dn.
D. Salzmannum Anatominam docentem & monstrantem, ut &
Clarissimum Dn. Prof. Sachsium Physicam Experimentalem tra-
stantem percepit; nec minus Collegia Experientissimorum Dn.
D. Fried de arte obstetricandi & D. D. Nicolai de Affectibus oculo-
rum frequentavit: Redux vero ad nos factus, laudatum Dn.
Prof. Junckerum tabulas Practicas & Chymicas suas explicantem
audivit, ejusque Manuductionis in Praxi Clinica particeps factus
fuit: Denique Academicis studiis dicere vale cum Deo proposuit,
& ab Ordine nostro modeste petiit, quo Privilegia Doctoralia ipsi
conferantur; huic petito annuentes consuetis examinibus ejus pro-
fectus in scientia & experientia exploravimus, quibus perspectis
aditum ad cathedram disputatoriam ipsi concessimus, è qua thema
Inauguralis speciminis de *Coffe Potus usu noxio* ventilandum selegit;
Qui Actui solenni VII. Idus Maji cum Deo instituto, ut sub nutù
Divini auxilii Magnificus Academæ Pro-Rector, Illustrissimi, Illu-
stres, Summe Reverendi, Excellentissimi, Consultissimi, Amplissi-
mi, Clarissimique Academæ Proceres, Fautores, ac Cives præsentia
sua adfint, saveantque, omni humanitate rogo: Datum Halæ
Magdeb. Pridie Nonar. Majas. A. O. R.

M. D. CC. XXX.

(L S.)